



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De amore, quo Deus diligit hominem, 27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta; frequenter contumelias, detractiones, ac convitia. Et ideo dignus eram ut maledictio mihi veniret, sicut scriptum est: Dilexit maledictionem & venit ei. Dilexi interdum vindictam, & malitiam, & iniquitatem, quas reprehendit scriptura, dicens: Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Ista fuit, o superamande Domine Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attendens scripturam, dicentem: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare; & illustra mentem meam, ut te perfecte diligam, ut sic informetur anima mea doctrina veritatis; ut tecum, qui es amor & veritas, in amore & veritate vivam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

C A P V T XXVII.

De amore, quo Deus diligit hominem.

I. **A** Mantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem, qui servat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit. Et quia tu purus es, & omnium maxime purus; ideo diligis puros, sicut scriptum est: Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem. Sic enim dilexisti beatum Ioannem Evangelistam, de quo scribitur: Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Diligis etiam Domine hominem, qui tenet sapien-

pietia claritatem atque veritatem. Quia scriptum est: Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia est; quia non potest venire commodum neque honor de amicitia stulti. Ideo Domine dilexisti Salomonem, sicut scribitur: Vocavit Dominus Salomonem, & dilexit eum. Diligis Domine Iesu Christe, amator innocentissime, illum qui amat innocentia levitatem, sicut dicitur: Scio Domine Deus (ait David) quod probas renes & corda, & simplicitatem & non dolo- sitatem diligis. Diligis etiam Domine amicitiam amicitia rependentem, & servantem amicitia firmitatem, sicut tu Domine dixisti: Ego diligentes me diligo. Hoc namque justum est, quod qui diligitur, diligat. Sic enim Moysen dilexisti, sicut scribitur: Dilectus Deo & hominibus Moyses.

2. Diligis Domine Iesu Christe, amator liberalissime, illum, qui ostendit effectu beneficentia sua largitatem. Quia hilarem datorem diligit Deus. Lari enim & pii diliguntur a te. Sicut patet etiam de Martha, cujus animus erat largitate & pietate foecundus. Ideo scribitur: Diligebat Martham Iesus. Diligis Domine illum, qui sectatur justitiam & aequitatem, quia scriptum est: Qui sectatur justitiam, diligitur a Domino. Sic enim dilexisti Domine Samuel aequitate solidum, sicut scriptum est: Dilectus a Deo Samuel Propheta. O dulcissime Domine Iesu Christe, omnium perfecte amator, dum omnia praedicta in mentis meae secreto considero, erubescio, imo corde

corde deficio præ timore: Quia non sentio in me miserabili peccatore aliquam ex causis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob opposita odio habere. Sed tamen ad tuam immensam clementiam confidenter accedo, ut parcere mihi digneris, & remittere misericorditer omnia peccata mea. Et sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, ut per innovationem tibi placeam; & causam habeas me diligendi: ut te diligentem me, per infinita sæculorum sæcula vicissim diligam, Amen.

C A P V T XXVIII.

Quod amor est excellentissima virtus.

I. **I**Nter cæteras virtutes (benignissime Domine Iesu Christe, semper amabilis, excellentissime) vera dilectio est excellentissima; & ideo oleo comparatur: Quia sicut oleum aliis liquoribus supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & preciosum, ut filius tuus nominetur. Qui autem illum non habet, despectus est, & erit coram te sicut stilla fistulæ, de quo & similibus scribitur: Ecce gentes quasi stilla fistulæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi pulvis exiguus. Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æstimator justissime, quod licet talis exercent opera de genere bonorum, parvi tamen valoris sunt,